

3. Inprimis ecclesiam Germiniacus¹⁾ dictam, in honore omnium Salvatoris dicatam, laicali ditioni teneri vehementer indoluit; quam Vulfaldo militi, quia donis precibusque non valuit, suę prudentis calliditatis astu eripuit. Haec regalis cessionis dono, cum omni censu aecclesiastico, sancto eo tenore collata erat Benedicto, ut pro Francorum regum salute seu requie supradicta congregatio Deum deposceret omnium seculorum tempore. Sed, ut diximus, pręrepta a secularibus, ex tunc XII²⁾ denariorum redditus inolevit.

Altare nihilominus eiusdem aeclesię a Guidone X³⁾ aureorum solidorum mercato erogatione, redditu ipsius quantitate metalli, fratrum victui delegavit; qui postmodum desiderio accensus divino, inibi monasticum suscepit habitum, et inter cetera sollempnia, quę almo patri Benedicto secum obtulit, aurum restituit, corpusque sanctę Tenestine virginis pariter attulit, cuius leticam fere trium cubitorum longitudinis mundissimo argento vestivit, celatoriaque arte decoravit, in quam iam dictę virginis intromissis reliquiis, super altare summę et iudividuę trinitatis collocavit. Fecit et argenteam mirę magnitudinis coronam, aureis guttulis interstintam, ante ipsam precelse trinitatis presentiam. Contulit etiam filacteria, auro gemmisque vernantia, in se continentia pretiosissima sanctorum pignora, inter quę unum, excellentius ceteris, lignum retinebat dominicę crucis, quod quondam Hierosolima rediens, non paucis redimerat nummis.

4. Verumtamen Dei servus, ceptum opus implere festinans Novum Vicum⁴⁾ ecclesiam, quam Hugo Beluacensis beneficio tenebat fiscali, suo loco restituendam decrevit. Namque eo defuncto⁵⁾, memorabilis abba regale palatium adiit, largitoque CC solidorum numero regi Francorum Rotberto, eam suo subegit dominio.

Item ecclesiam Bosonis ville⁶⁾ a quodam clerico, nomine Gauterio, quamquam postea monacho, triginta librarum redemit pretio.

Sequitur quoque altera castri Evere⁷⁾, quam iste benignissimus a quodam nihilominus recepit clerico, conlato quadringentorum solidorum penso. Licet autem plurimis haec praecaria possiderent retroactis seculis, veritus tamen ne quando sibi ea usurpassent, eo suam retorsit additionem.

In Stampensi iterum pago⁷⁾, aecclesiam Alton nuncu-

1) Eine Hand saec. XIV. notirt marginal: Germigni. — Delisle: dép. Loiret, com. Châteauneuf. 2) Die Zahl ist ausgestrichen, und fehlt daher in den 3 Abschriften. 3) Marginal saec. XIV: Neuville. — Delisle: Neuvi, dép. Loiret, c. Jargeau. 4) Cfr.: Rodulfus. Glaber III, 2 (Delisle). 5) Marginal saec. XIV: Bosonville. — Delisle: Bouzonville, dép. Loiret, c. Pithiviers. 6) Marginal saec. XIV: Yeuye le chateau. — Delisle: Jèvre, dép. Loiret, c. Pithiviers. 7) Pays d'Étampes (Delisle).